



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

9. De Legatione ipsius & VVidmari ad Sueones, & quanta aduersa in ipso itinere paßi sint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

## CAPVT IX.

De Legatione ipsius & Witmari ad Sueones, &  
 quanta aduersa in itinere passi sint.

**C**VM itaque ante praesentiam Caesaris  
 adductus, interrogatus fuisset ab eo;  
 vtrum Legationem illam suscipere vellet? li-  
 bera voce respondit: se paratum ad omnia,  
 quaecunque sibi pro Christi nomine sua au-  
 thoritate decreuisset iniungere. Tunc Dei or-  
 dinante prouidentia socium illi ex vestra Fra-  
 ternitate venerabilis Abbas inuenit, nomine  
 Witmarum, tanto operi satis & condignum  
 & voluntarium. Porro cum Herioldo esse  
 disposuit Patrem deuotissimum Gislemarum,  
 fide & operibus bonis probatum atque in  
 zelo Dei feruentissimum. Suscepit itaque Le-  
 gationem sibi a Caesare iniunctam, vt in partes  
 iret Sueonum, & probaret vtrum populus ille  
 ad credendum paratus esset; sicuti Missi su-  
 pradicti innotuerant. In qua Legatione quan-  
 ta grauia mala perpeffus sit, melius ipse qui  
 interfuit Pater Witmarus intimare poterit.  
 Nobis hoc tantum narrare sufficiat, quod du-  
 in medio ferè essent itinere, in piratas offen-  
 derunt: & cum negotiatores qui cum eis i-  
 bant se viriliter defenderint, & primò quidem  
 victoriam ceperint, in secundò tamen ab eis-  
 dem piratis deuicti, ita vt naues & omnia quae  
 habebant eis tulerint, & ipsi vix pedibus ad  
 terram fugientes euaserint. Ibi itaque & mu-  
 nera

*Frater Gis-  
 lemarius.*



nera Regia, quæ illuc deferre debuerant, & omnia quæ habuerant perdiderunt, excepto paruo quod fortè proficientes è nauì secum auferre & asportare poterant. Inter quæ etiã penè 40. libros, quos ad seruitium Dei sibi aggregauerant, illis diripientibus amiserunt.

## CAPVT X.

*Qualiter ad Bircam venientes à Rege Sueonum Berni suscepti sint, & Herigarius præfatus fidei credulitatem susceperit.*

**H**Oc itaque factò, cùm quidam reuertis quidam in antea ire disponerent, Seruus Dei accepto itinere, nulla ratione flecti potuit, quin potius in Dei ponens arbitrio quod illi contingeret, nequaquam redire disposuit, antequam nutu Dei dinosceret, vtrũ in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. Cum graui itaque difficultate pedibus posthæc per longissimam viam incedentes, & vbi congruebat interiacentia maria nauigio transeuntes, tandem ad portum Regni ipsorũ, qui dicitur Birca, peruenerunt: vbi benignè à Rege eorum, qui Bern vocabatur, suscepti sunt, Missis eius referentibus quã de causã aduenerint. Cognita itaque Legatione eorum, & cum suis de huiusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu dedit eis licentiam ibi manendi & Euangelium Christi prædicandi; concessã libertatẽ, vt quicunque vellent eorum doctrinam expe-

*Berni Rex  
Sue dicitur*

E 2

terent